



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 31. Novesio urbi auxilia ab Imperatore missa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XXXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.*Novesio urbi auxilia ab Imperatore
missa.*

Interim jam septimum in mensem arcta
satis effluebat obsidio. Nihilominus
Colonenses & Hermani Principis amici
sexdecim armatorum millia contrahunt,
ac tentoria e regione Burgundici exer-
citus figunt, solo Rheno utriusque exerci-
tus castra interfecante. Imperator quoque
valido agmine laboranti urbi subsidio ve-
nit, missoque in Gallias Legato Regem
hortatur, ut ipsi cum viginti bellatorum
millibus præsto esset. Rex spem verbis
fovebat, nunquam tamen promissum ex-
equi statuit, partim quod apertum cum
Burgundo bellum, quamdiu posset, decli-
nare intentus esset, partim quod ad
omnem horam infestum Anglorum ex-
scensum in Franciam pertimesceret. Qua-
re nil amplius egit, quam quod Cæsaris
Legatum multis benevolentiae signis, &
quadringentorum aureorum dono auctum
remitteret, atque eidem itineris comitem
daret Tercelinum de Broffa, cui injun-
ctum, ut ad Burgundiæ Ducis ditiones
junctis viribus occupandas Imperatoris
animum incenderet, ac nomine Ludovici
polliceretur, quod Rex duntaxat eas sibi
reservaturus esset Provincias, quæ Gal-
lici

Sæcul. XV. A.C. 1474. licet juris forent, ceteras vero omnes habere Friderico relinquere vellet. Ad hæc reposuit Imperator, *pellem urso necdum occiso, seu prædam in antecessum dividere, ridiculum esse.* Cum autem Ludovicus XI. potissimum eo tempore timeret, ne Burgundo Anglis juncto sibi tota belli moles incumberet, in eundem novos concitavit inimicos, Lotharingæ Ducem, Sigismundum Austriacum, Helvetios, & Imperii urbes ad Rhenum sitas.

§. XXXII.

Bellum per Lotharingæ Ducem Burgundo indictum.

*Commin.
lib. 4. cap. 2.*

Lotharingæ Dux, cujus hic mentionem facimus, erat Renatus Ferris seu Friderici Valdemontii Comitis Filius, & Nepos Renati Siciliae regis, qui eidem Lotharingæ Ducatum cesserat, eoquod ille hæreditatis portio esset Jolandæ Matris suæ, necnon Isabellæ de Lotharingia aviæ suæ, quæ Renati Siciliae Regis conjux erat. Juvenis hic Princeps quidem firma satis adhuc pace cum Burgundo fruebatur; cum vero eum minime lateret, quod Burgundus varie quæsto obtentu ejus ditiones occupare moliretur, hinc ad id stimulante Ludovico XI., copias suas in aciem eduxit, bellumque

Bur-